

est latitudo reflexionis epicycli. Tandem cum 23. mi. proportionalibus ex secunda tabula repertis, intro tabulam tertiam, & inuenio 3. mi. 50. secund. latitudinem septentrionalem deuiationis deferentis ab ecliptica, sed quia tres hæc latitudines, omnes sunt septentrionales, quare addo eas in simul, & colligo. gra 3. 1. 1. minu. 39. se. latitudinem Veneris septentrionalem optimè extractam ad tempus propositum.

## De directione, retrogradatione, stationeque planetarum.

### Propositio XVIII.

*Planetarum directiones, retrogradationes stationesque per tabulas inuenire.*



**H**Abeas primo centrum & argumentum æquata planetæ, de quo hæc inuenire prætendis, & eorum quolibet scribe seorsum. Et mitte centrum verum in tabulam stationis tui planetæ, recipeque stationem primam in eius directo scriptam, æquando tamen ipsam cum parte proportionali si opus fuerit, qua demum sublata de 12. sig. relinquitur statio secunda, quam scribe sub prima. Et considera, si argumentum æquatum tui planetæ fuerit æquale stationi primæ in sig. gra. & mi. erit planeta stationarius statione prima, vbi incipiet retrogradari. Quod si fuerit plus statione prima & minus secunda, tunc retrogradatur: & si fuerit æquale stationi secundæ, erit stationarius statione secunda. Si verò idem argumentum fuerit plus statione secunda & minus prima, erit idem planeta directus. Quod si planeta directus fuerit, & volueris scire, quando dirigi inceperit, considera si argumentum medium talis planetæ fuerit plus statione secunda vel minus prima, vel nihil, si plus statione secunda, subtrahe stationem secundam de argumento medio, & quod post subtractionem remanserit, diuide per motum argumenti in vna die, si potes, & habebis in quotiente dies, si verò aliquid remanserit, aut diuidi non possit, tunc illud per 24. multiplica, & productum diuide per id quod prius, & in quotiente habebis horas, & si quid remanserit in diuisum per 60. resoluas, diuidasque cum priori diuisore, prouenient in quotiente minuta horarum, & sic consequenter ad libitum. Hoc ergo tempus ex diuisionibus emersum, de tempore quo tuum planetam æquasti, subtrahe, remanebit tempus quo planeta incepit dirigi. Si autem argumentum fuerit minus statione prima, subtrahe stationem secundam de 12. sig. & residuo adde argumentum tui planetæ